

cæcat animum, & a rectitudinis suæ statu deturbat atque deducit? Quid vero ejus deformitatem referam? Ea namque irati hominis perturbatio & furor est, ut in ipso etiam corpore non obscura ejus signa patefiant. Micant enim oculi, pallet vultus, concurrunt labra, tremunt genua, dentes quatuntur, terra pedibus calcatur, & anhelus & concitatus spiritus internam animi tempestatem declarat. Ab hoc igitur immani tyranno mansuetudo hominem liberat.

Quid tum postea? Primum quidem hominem Deo miræ caritate conglutinat. Scitis enim, similitudinem inter præcipuas amoris causas numerari: vir autem mitis Deo quam simillimus est. Hanc enim illi virtutem potissimum tribuit propheta, quum ait: (a) *quoniam tu, Domine, suavis, & mitis, & multa misericordia omnibus invocantibus te.* Jam vero quid aliud illa Domini Salvatoris verba prædicant: (b) *discite a me, quia mitis sum & humilis corde?* Qua de causa idem Dominus frequentissime in litteris sanctis (c) agnus appellatur. Unde consequens est,

ut agnus agnos, mitis mites, & mansuetus mansuetos, tamquam sui similes, per amorem sibi applicet atque conjungat. Nec solum Deo, sed hominibus etiam miro modo grata & amabilis mansuetudo est. Quod quidem Ecclesiasticus testatur his verbis: (d) *fili, in mansuetudine opera tua perfice; & super gloriam hominum diligeris.* Contra vero de iracundo homine ait: (e) *spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Cujus rei vel illud argumento esse potest, quod Plutarchus ait, nempe, servos, venditioni expositos, dominis, quorum servitio mancipandi sunt, quærere solitos, non quidem an superstitiosi, superbi, vinolenti, sed an iracundi, morosi, & intractabiles sint. Hoc est enim, quod omnes homines, ac præcipue servi, maxime horrent atque formidant. Sunt igitur mansueti Deo atque hominibus amabiles atque jucundi: sed multo magis erga se ipsos benefici, grati atque jucundi sunt. Ut enim idem Plutarchus rectissime ait: *quamvis ceteris hominibus suavis & grata mansuetudinis virtus sit, nulli ta-*

(a) Psalm. 85. 4. (b) Matth. 11. 29. (c) Isai. 53. 7. Joan. 1. 29. Apocalyp. V. 12. VII. 9. (d) Eccli. 3. 19. (e) Prov. 18. 14.

*men, quam eam possidenti gratior atque jucundior est.*

Sed quid sibi vult, quod beatitudinis hujus præmium Dominus esse statuit, possidere terram? Certe constat, Dominum nequaquam de hac terra, quam pedibus calcamus, quam mites non possident; sed de terra viventium fuisse loquutum, quam antea communi & proprio nomine regnum cælorum appellaverat. Cur ergo modo nova hac voce utitur? Hoc plane mihi innuisse videtur, quod quum nemo lenitatis & mansuetudinis virtutem diu retinere possit, nisi qui omnibus in rebus, quæ in controversiam contentionemque vertuntur, juri suo cedat; magisque vel honoris, vel rerum suarum, quam virtutis hujus jacturam facere paratus sit: justum profecto est, ut ab æquissimo judice rerum omnium dominium ac possessionem accipiat, qui propter ejus gloriam (a) extorquenti tunicam dimittit & pallium, & percipienti unam maxillam, præbet alteram, ne lenitatis & mansuetudinis virtutem amittat. Sicut ergo Dominus (b) relinquenti propter se omnia centuplum simul cum vita æterna promittit:

ita amittenti propter illum sua, rerum omnium possessionem tribuit; ut multo videlicet majora recipiat, qui propter illum parva contempserit.

§. II.

Sequitur deinde: *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Hic dicit aliquis: qui fieri potest, ut qui lugent, beati sint? Duplex est luctus, sicut duplex etiam tristitia est; quemadmodum in superiori concione diximus. Hoc autem in loco non de luctu sive tristitia sæculi, sed de pio luctu lacrimisque sermo est. Est autem multiplex hujusmodi luctus, qui nunquam lætitiæ & beatitudinis cujusdam prorsus expers est. Sunt enim lacrimæ, quas peccati dolor; sunt, quas exprimit Christi amor, & utraq; sane dulces sunt. Lugent enim vere pœnitentes, dum (c) recogitant omnes annos suos in amaritudine animæ suæ. Hi autem lugent, & dolent: sed tamen, ut D. Augustinus ait, de ipso suo dolore gaudent. Sicut enim \* sanitatis signum est vulnerum dolor; ita spiritualis salutis & gratiæ, vehemens peccatorum dolor existit. Lugent etiam qui Dei amore ardent, ad patriam suam pervenire cupientes,

(a) Matth. 5. 39. 40. (b) Matth. 19. 29. (c) Isai. 38. 15.

tes, & videndi caelestis sponsi desiderio flagrant. Quo modo lugebat ille qui dicebat: (a) fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? Et in his quoque lacrimis mira suavitas est: ideoque panes suos appellat eas propheta, quod quemadmodum corpus panibus, ita pia mens huiusmodi lacrimis reficitur, pascitur, & mirifice delectatur. Utraque autem has lacrimas D. Augustinus (b) a Domino postulabat, quum ab eo irriguum superius, & irriguum inferius peteret. Utrisque enim mens ejus reficiebatur, sive quum peccata defle-ret, sive quum patriae caelestis desiderio astuaret. Sunt etiam suavissimae illae lacrimae, quae ex divinarum rerum contemplatione oriuntur; quales ejusdem beati viri erant, de quibus ecclesia canit: *flebat autem uberrime in hymnis & canticis, suave sonantis ecclesiae vocibus vehementer affectus*. Voces enim illae influebant auribus ejus, & eliquebatur veritas in corde ejus, & fluebant lacrimae, & bene illi erat cum eis.

Postremo sunt & aliae com-

(a) *Psalms. 41. 4.* (b) *August. in Medit.* (c) *2. Corinths. 12. 21.*

passionis lacrimae, quibus secundas ad Corinth. litteras Apostolus lacrimis interlitas se mittere ait; subdit enim: (c) *ut lugeam multos ex his qui peccaverant, & non egerunt poenitentiam super iniquitate & immunditia quam gesserunt*. Quae fit autem huiusmodi lacrimarum beatitudo, qui scire vellet, octavum & novum Ezechielis caput legat: in quo Dominus sex armatis viris Hierosolymorum vastationem committit; &, ne senibus quidem, aut infantibus, aut mulieribus, aut ulli sexui & aetati parcant, edicit. Inter hos autem armatos homines aderat unus, non armis, sed lineis vestibus indutus; cui Dominus praecipit, ut transiens per mediam civitatem signaret *Tau* super caput virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quae fiebant in medio eorum. Haec igitur a communi clade & vastatione liberatio, an non pars quaedam beatitudinis & felicitatis est; ut aliis pereuntibus tu incolumis maneat? aliis turbida tempestate jactatis, tu in portu naviges? abscondatque te Dominus in tabernaculo suo in die malorum? Hoc est enim quod

quod regius propheta designavit, quum ait: (a) *dedisti me-tuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur electi tui*. Videtis ergo, fratres, quam multiplex sit eorum, qui lugent, beatitudo & consolatio. Sequitur deinde.

*Beati qui esurunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Justitiae proprium munus est, unicuique, quod debitum est, fideliter reddere. Quid autem, ut D. Augustinus (b) ait, magis debitum & justum est, quam ut benignissimo conditori nostro pareamus? clementissimum redemptorem diligamus? rectissimaeque voluntati ejus voluntatem nostram subjiciamus? Ex quo satis liquet, totius justitiae summam obedientia & caritate in Deum contineri. Unde D. Augustinus, de caritate agens: (c) *caritas, inquit, inchoata, inchoata justitia est: caritas provecta, provecta justitia est: caritas magna, magna justitia est: caritas perfecta, perfecta justitia*. De obedientia vero Salvator ipse ad Patrem ait: (d) *sacrificium & oblationem nolui, aures autem perfecisti mihi*: hoc

Tom. III.

(a) *Psalms. 59. 5. 6.* (b) *August. XIX. de Civit.* (c) *August. de natura & gratia.* (d) *Psalms. 39. 7.* (e) *Hebraeor. 10. 5.* (f) *Prov. 10. 3.* (g) *Psalms. 9. 38.*

est, eas promptas atque perfectas ad obediendum tibi reddidisti. Quem etiam sensum illa Apostoli interpretatio facit: (e) *corpus autem aptasti mihi*, hoc est, aptum ad tibi in rebus omnibus obtemperandum effecisti. Itaque ceteris veteris legis sacrificiis & caerimoniis antiquatis, hanc unam obedientiam, quae divinatorum praecptorum observatione continetur, a nobis tamquam perfectam justitiam requirit.

Hujus autem spiritualis famis & sitis, qua hanc justitiam desideramus, praemium Dominus subjicit, quum ait: *quoniam ipsi saturabuntur*. Huiusmodi enim desideria implere solet ille, de quo scriptum est: (f) *non affliget Dominus fame animam iusti*. Et: (g) *desiderium pauperum exaudivit Dominus*. Nec enim pius Dominus sancta desideria in suorum cordibus accendit, ut eos misere desiderando torqueat, sed ut ea misericorditer impleat. Qua in re ingens inter spiritualia & carnalia desideria discrimen adnotare licet. Spiritualia namque desideria suavitate, carnalia vero sitim atque cruciatum afferunt. Illis enim

enim omnipotens Deus animi quietem promittit; hæc vero, quum vacua & inania bona appetant, præbere nequeunt, quod non habent. Quo modo enim quod breve & momentaneum, quod egenum, fallax & lubricum est, mentem hominis, Dei capacem, implere poterit? Unde eleganter Gregorius Nyssenus cor carnalibus desideriis æstuans pertuso vasculo comparat; quod ubi primum liquorem percipit, eoque paululum superficies ejus madescit, a se protinus effundit. Si enim non effunderet, impleretur: si vero impleretur, nihil amplius cuperet; cupit autem: unde consequens est, nequaquam eo impletum fuisse, quod perceperit.

Qua ex re liquet, e terrenis bonis nihil improbos amplius, quam spem inanem ac desiderium, habere: desiderium, quo crucientur; & spem inanem, qua frustrentur. Quo argumento Henricus Susonius colligit, carnales homines, hisce desideriis æstuantes, damnatis in gehenna hominibus esse persimiles. Improbi namque homines nec spiritualibus delitiis, ob vitia sua, fruuntur; neque item carnalibus, quoniam protinus velut e vase pertuso elabuntur & effluunt. Qui quamvis modo

tenebris obcæcati dementiam suam non agnoscant, ubi tamen reddendæ rationis tempus advenerit, aperte cernent, quanta dementia fuerit, oblata a Deo bona repudiare, ut iis bonis potirentur, quæ illis mundus concedere noluit. Utroque enim nomine se miseros esse intelligent; & quod vera & solida bona contempserint, & quod falsa & inania assequuti non fuerint. Ceterum spiritualia bona, quum vera & perfecta bona sint, & auctorem Deum secum afferant, miris modis mentes hominum replent, sanant atque reficiunt.

Sitientibus justitiam additur quinta beatitudo, præstantium misericordiam. *Beati*, inquit, *miseriordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hos, Gregorius Nyssenus ait, vere beatos appellari, quod Dei munus & officium inter homines exercent; cujus est, misereri semper & parcere. Quo nomine non tam beati, quam Dii quodam modo, vel filii Dei appellandi sunt; quando sic ad vivum ejus imaginem miserando referunt. Qui, ut D. Basiliius ejus frater ait, hoc nomine misericordiam suam vel maxime declarat, quod eam præcipue misericordibus impendit, Ja-

CO-

cobo apostolo testante, qui ait: (a) *judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* Contra vero Dominus: *beati*, inquit, *miseriordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Talem enim erga se Deum invenient, quales ipsi se hominibus exhibuerunt. Unde eleganter idem Gregorius Deum purissimo cuidam speculo comparat, quod perfecte eam imaginem refert, quam ante illud proponis, sive lætam, sive tristem, sive formosam, sive deformem. Quæ quidem varietas non ab ipso speculo, sed ab imaginum varietate, quæ illi objiciuntur, emanat. Pro comperto igitur habeatis, fratres, hoc eodem modo, quum extremus ille dies aderit, judicis faciem aut placabilem, aut implacabilem, aut hilarem, aut tristem vos esse visuros, qualem vos fratribus in hac vita exhibuistis. Quam rem propheta significavit, (b) quum Deum, cum sancto sanctum, cum electo electum, cum innocente innocentem, & cum perverso perversum, hoc est, severissimum vindicem fore prædixit.

Quam sit vero rara & præpostera multorum hominum misericordia, vel hoc argumen-

to perspicitur, quod quum misericordia, juxta D. Bernardi sententiam, duas præcipue partes complectatur; quarum altera in sceleribus hominum prohibendis, altera in eorum miseriis sublevandis versatur: adeo præpostere se multi in hac parte gerunt, ut proximorum flagitia non solum non prohibeant, verum se etiam socios ad ea perpetranda adjungant; laborantium vero miseras ne obolo quidem impenso sublevare velint; utpote qui animarum suarum prodigi, pecuniarum vero avidissimi dispensatores sint. Hos autem idem D. Bernardus legitimos Adæ filios, ejus mores ad vivum exprimentes, esse ait; qui facile se uxori peccanti socium præbuit, peccati vero poenam sustinere noluit, sed in sceleris consortem retulit. Ad hunc ergo modum isti facile peccatis aliorum patrocinium præstant, nullum tamen sive laborem, sive rerum suarum damnum propter illos perpeti volunt. Tales igitur futuræ vindictæ consortes habebunt, quibus se crudeli misericordia criminum socios exhibuerunt.

§. III.

Sequitur deinde: *beati mundo*

Q 2

(a) *Jacob. 2. 13.* (b) *Psal. 17. 26. 27.*

do corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Magna certe beatitudo, cui tam ingens præmium proponitur. Quid enim majus, quam divinam speciem & pulchritudinem puris oculis intueri? Qui igitur ad hanc felicitatem pervenire desiderat, puritati cordis studeat, eamque, ut Joannes Cassianus docet, vitæ suæ scopum statuatur. Ceterum quia puritas hæc non solum a peccatis, sed ab ipsis etiam terrenarum rerum desideris, earundemque imaginibus mentem puram illibatamque conservat; rerum autem imagines aditum sibi in animam nostram per corporis sensus patefaciunt: ideo qui huic puritati studet, sensus etiam suos, quantum fieri potest, studet, ne per res varias diffluentes, variis tum cupiditatibus, tum imaginibus puritatem mentis inficiant. Qua in re venatorum sollertiam imitari videntur, qui accipitrum, quos in manu gestant, oculos injecto tegumento operiunt, ne facile circumvolantium avium, aut aliarum rerum specie exagitentur. Hac enim arte omnes eorum inanes volatus impetisque coercerent, & quietis illis mansuetisque utuntur. Quod quo commodius multi sanctis-

simorum virorum facerent, turbis urbium derelictis, in vias solitudines petiverunt, ne quid esset, quod oculis & auribus usurpare possent, quo eorum mentes a jugi divinarum rerum commentatione avocarent.

Sed quis hac in re eorum curam & providentiam pro dignitate explicare queat? Rem dicturus sum incredibilem, sed non minus certe veram. Sanctus Antonius, Athanasio referente, viginti continuis annis in quadam domuncula sive specu reclusus, sic ab omni rerum humanarum commercio semotus vixit, ut quum semel in anno familiaris quidam ei panes afferret, quibus solis vesceretur, ne unum quidem verbum cum comitatu illius delatore loqueretur. Quid hoc silentio mirabilius? Theodoretus vero in historia religiosa aliud non minus mirabile refert, nempe sanctum quemdam, ex priscis illis anachoretis, in cuiusdam montis latere habitantem, quoniam incaute aliquando oculos in subjectam vallem demississet, ut arantes agricolas cerneret, catena ferrea collum ita ligavisse atque depressisse, ut numquam postea quidquam aliud, nisi subjectam pedibus terram, videre posset. Abbas

ve-

vero Sylvanus quum hortulum foderet, sic cuculla oculos tenebat, ut nihil aliud, nisi terram, quam subigebat, cerneret. Quam multa erant hoc loco dicenda, quam multa miranda, quantoque plura vobiscum exoptulanda! Sed hæc tamen omnia, fratres, quoniam ad finem properat oratio, vobis expendenda, & cum ætatis nostræ moribus conferenda relinquo.

Sequitur deinde septima beatitudo: *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Triplicem quidem pacem sancti patres esse statuunt: aliam, qua pacem cum Deo; aliam, qua cum hominibus; tertiam, quam nos ipsi intra nos habemus, quando videlicet affectus nostri, & inferiores animæ vires adversus rationis imperium minime reluctantur, sed ejus præceptis & moderationi obtemperant. Quia vero triplicis hujus pacis beatitudinem atque delicias, quibus in hac etiam vita piii fruuntur, brevis oratio complecti non potest, postremam beatitudinem subjiciamus.

*Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Hic forsitan dicet aliquis: Tom. III.

fateor, beati isti erunt, quibus cælestis regni præmium constitutum est: quomodo autem in præsentis vite beati appellandi sunt, qui persecutionibus & maledictis hominum conscinduntur? Ostendam, quare ratione hi quoque modo beati sint. An ulla major beatitudo, quam Dei amicum esse, & gratiam apud illum invenisse? Certe nulla. At constat plane ex communi sanctorum patrum sententia, nullum esse divinæ gratiæ signum certius, quam libenter, & æquo animo varias propter Deum persecutiones perpeti; vel ipso Apostolo testante, qui hoc nomine (a) se in tribulationibus gloriari ait, quod *tribulatio patientiam operetur, patientia vero probationem*: hoc est, quod tamquam aurum igne exploratum, ita hominem Deo tribulationis igne excoctum & probatum reddat. Quis autem hoc tantæ salutis signo non etiam in mediis persecutionibus gaudeat? Si enim avarus ille dives apud poetam populi convicia irridebat, dicens: (b)

..... Populus me sibilat, at  
mibi plaudo  
Ipse domi, simulac nummos  
contemplor in arca;

Q3

quo-

(a) Rom. 5. 3. (b) Horat. Satir. lib. 1. sat. 1. v. 66.

quomodo non persecutiones & maledicta hominum contemnet, qui intra conscientiam suam hoc tam magnificum gestat testimonium, quod omnipotentem Deum amicum & parentem habeat, quod illi gratus & dilectus filius, regni-que ejus heres institutus sit? Quis enim hac tam magna veræ felicitatis conjectura non in hac etiam vita incipiat esse beatus? (a) *Gloria enim, inquit Apostolus, nostra est testimonium conscientia, nostra.*

Hæc sunt, fratres, itinera, quibus ad sempiternæ salutis portum pervenitur; hæc virtutes, quibus ingens ea merces proposita est, de qua Salvator in præsentī lectione ait: *gaudete & exsultate, quia merces vestra copiosa est in calis.* Sed quis tamen pro dignitate mercedis hujus magnitudinem explicare queat? Ut enim D. Augustinus ait: „quod Deus præparavit „diligentibus se, fide non capi- „tur, spe non attingitur, cari- „tate non comprehenditur, de- „sideria & vota transgreditur: „adquiri potest, æstimari non „potest. Hæc autem tanta mercede proposita quid arduum ac difficile homini christiano offerri potest, quod non liben-

ter & alacriter amplectatur? Quum D. Catharina martyr Maxentii tyranni jussu in carcere custodiretur, & Porphyrius, militiæ princeps, clam noctu ad eam veniens, quæ sibi a Christo merces esset proposita, si in illum crederet, interrogasset; illaque cælestis ei præmii magnitudinem exposuisset; sic illum in fide & pietate confirmavit, ut martyrium pro ea libenter subierit. Ego vero vos, fratres, non ad martyrium hodie, sed divinorum mandatorum levissimam sarcinam ferendam, eodem proposito præmio, hortor & invito. Quod si mercedis dignitatem scire cupitis, merces ipsa Deus est; quemadmodum ipse olim Abrahamæ significavit, dicens: (b) *noli timere, Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* In evangelio quoque idem Dominus fideli servo ait: (c) *euge serve bone & fidelis, &c. intra in gaudium Domini tui.* Videris ergo, idem gaudium & Domino & servo commune esse.

Sed ipsius Domini gaudium & felicitatem expendamus. Felicitas ejus est, immensam atque infinitam pulchritudinem suam plenissime videre, illam-

(a) 2. Corinth. 1. 12. (b) Genes. 15. 1. (c) Matth. 25. 21.

que infinito amore complecti, eademque sine intermissione frui, qua quidem is in se ipso perpetuo fruitur. Quæ felicitas tanta est, ut nec hujus mundi pulcherrimo opere, nec si innumerabiles ab eo rursus conderentur, quod is plane unico momento faceret, ulla ei accessio fieri posset; non magis quam si Oceano mari unius guttæ aquam adjeceris. Hæc igitur plena & summa Dei felicitas est, se ipsum videre, & immensa imaginis suæ, hoc est, Verbi sui, pulchritudine frui, in qua nihil est quod non videat, nihil quod non intelligat, nullumque bonum est quo non fruatur. Quæ quidem felicitas tanta est, ut ea sola vastissimus ille atque immensus divinæ mentis sinus perfecte impleatur, nullaque ei prorsus accessio fieri possit.

Quum igitur a me quærebatis, quanam esset futura hominis merces & beatitudo? Hanc eandem esse denuntio, quam unius Dei propriam esse dixi. Sicut enim is revelata facie infinitam pulchritudinem & decorem suum videt, & infinito amore diligit: ita nos quoque illum videbimus, amabimus, eoque fruemur; quam-

vis illius infinitæ pulchritudinis immensitatem comprehendere minime valeamus. Hinc Joannes ait: (a) *filioli, nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quoniam quum apparuerit, similes ei erimus.* Quo nam modo? Nimirum, quia videbimus eum sicuti est. Hæc enim est ejus gloria & felicitas. Quid ergo majus omnia mortalium vota in unum collata optare potuissent? (b) *Quis enim in nubibus aquabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei?* Si ergo neminem propheta inter filios Dei, hoc est, inter angelos, si eorum tantum naturam spectes, similem Deo esse ait: quale, quæso, erit, homuncionem, ex limo terræ concretum, non ad angelorum modo, sed ad Dei similitudinem elevari, & ejus gloriæ consortem fieri? Non igitur ita se Dominus majestatis cum electis suis, atque reges terræ cum famulis gerunt. Alio enim servi cultu, alia mensa, aliis dapibus & apparatu uti solent. At summus ille calitum imperator & dominus eadem nos tunica immortalitatis vestiet, eadem nos mensa, eodemque cibo aler, quando ejusdem nos felicitatis

Q4

par-

(a) 1. Joan. 3. 2. (b) Psalm. 88. 7.

participes efficiet. Sic enim unigenitus ejus Filius ait : (a) *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Idem autem ipse, qui hoc promittit, sanguinis sui pretio nobis hoc tantum munus mercatus est. Per illum enim caelestis Pater, ut Petrus apostolus ait, (b) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut videlicet divinae efficiamur consortes naturae.* Quamvis autem haec tanta felicitas omnem humanae intelligentiae vim longe superet; idem tamen, qui eam nobis promeruit, credibilem etiam fecit. Vere enim majus est, Deum humanitatis nostrae assumptione hominem fieri, quam hominem divinitatis

participatione divinam imaginem induere. Si ergo immensa divinae bonitatis largitas, quod majus est, contulit; quod minus est, utique donabit. Hac ergo tam felici spe atque mercede proposita, fratres, omnem torporem & somnum ab oculis excutere studeamus; per has beatitudinis semitas, quas vobis hodie Salvator exposuit, gradiamur, vigilemus, oremus; sanctorum omnium, quorum sollemnia celebramus, opem imploremus; illos nobis patronos, illos vitae duces, illos virtutum nobis exempla proponamus: ut ipsorum precibus, & clarissimis exemplis adjuti, ad eorum tandem societatem pervenire mereamur.



(a) Luc. 22. 29. 30. (b) 2. Petr. 1. 4.

IN

\* \* \* \* \*

IN EODEM FESTO  
OMNIUM SANCTORUM  
CONCIO TERTIA,

IN QUA DE VERA BEATITUDINE, deque itineribus, quibus ad eam pervenitur, ac de multiplici sanctorum varietate, quae miram divinae gratiae & sapientiae vim declarat, paullo fusius disseritur.

*THE. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Matth. V. 10.*

\*\*\* UO sunt in primis, **D** fratres carissimi, scitu necessaria iis, qui aliquo proficisci parant: alterum, locus ipse quo tendunt; alterum, via qua ad illum tendere debeant. Nos autem, fratres, quamdiu in hoc mortali corpore degimus, in itinere constituti sumus. (a) *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Advenae siquidem in hac regione & peregrini sumus; sicut omnes patres nostri, qui ex ea tamquam peregrini alio commigrarunt; velut & nos quoque suo tempore com-

migrabimus. Quocirca necesse est, ut, quo tendimus, & qua via tendendum nobis sit, ante omnia cognoscamus. Utrumque autem sine ullo errore nos praesens sancti evangelii lectio docet. Quum enim in fine Dominus ait: *gaudete & exsultate, quia merces vestra copiosa est in caelis*; aperte, quo tendamus, declarat: nempe, ad caeleste regnum, in quo haec merces copiosa percipienda est. Quum vero octo clarissimarum virtutum genera, quas beatitudines appellat, enumerat; itinera ostendit, quibus ad hoc beatitudinis regnum pervenitur. His nam-

(a) Hebraeor. 13. 14.